

fumentur, Die den HErrn verassen/ werden umkommen. *Pfal.* 37. v. 20. כָּלוּ כְּעָשָׁן כָּלוּ Consumti sunt, ut fumus consumti sunt: Sie werden vergehen / wie der Rauch vergehet: *Deniq;* per metonymiam כָּלוּ notat, sperare, expectare, expetere, eò quòd præ nimio desiderio & expectatione animus seu oculi consummantur, quando nihil obtinetur; ideoque maximam sperandi & expectandi attentionem denotat, ut observavit *Schindl.* in *Lexico* col. 866. Ita sumitur 2. *Sam.* 13. v. 39. *Pf.* 84. v. 3. *Pf.* 119. v. 73. Hinc descendit nomen כְּלוּת unde est כְּלוּתִי quod in præsentī textu Jobi legitur. Notantur autem isto vocabulo *renes*, quoniam in iis desiderium est, seu concupiscentia & libido, ut *Levit.* 3. vers. 4. 10. Per Synecdochen significantur *affectus*, *cupiditates*, & *cogitationes interiores ac occultæ* ut *Pfal.* 7. v. 10. probans corda וְכְלוּת & *renes*, seu *affectus* & *cogitationes interiores*. Sic *Jerem.* 12. v. 2. Propinquus in ore, sed remotus à renibus ipsorum. Hoc autem loco propria significatio obtinere videtur, ideoque Pagninus vertit: *Defecerunt renes mei*, cujus versionis proluxa reperitur defensio in Præfatione eorundem Bibliorum. Luther. Meine Nieren sind verzehret.

(כְּרוֹתִי) In *sinu meo* כְּרוֹתִי vel כְּרוֹתִי notat propriè *sinum*, figuratè *medietatem* vel *concavitatem* alicujus rei, unde hujus textus expositiones diversæ oriuntur, de quibus in *Ἐκθεσίς* pluribus agetur, quam nunc sine mora subjungemus.

IX.

Membrum tertium.

ἘΚΘΕΣΙΣ VEL ΠΑΡΑΦΡΑΣΙΣ THEOLOGICA.

Jobus rem maximam maximique momenti narraturus, singularem attentionem postulat, & perpetuam memoriam. Sic enim præfatur v. 23. & 24. *Vtinam scriberentur sermones mei! Utinam imprimerentur non foliis sed libro, Imò, utinam stylo plumbeo vel ferreo sculperentur in petrà in perpetuum!* Olim enim, quæ posteritati debebant communicari, petrà tabu-